

illos rursus magnopere admonendos censet, ut non passim, sed cum id videbitur communi bono expedire, atrociorum tantum, et graviorum criminum absolutionem sibi reservent, quorum reservatio ad Christianam disciplinam retinendam conferat.

39 Praeter casus reservatos, aliae constitutiones fieri, et sanciri possunt ab episcopo, quae jurisdictionis restrictionem inducant in Confessario, vel peccata aggravent, vel alia superaddant, quae particulari inspectione indigeant. Istas constitutiones insuper non solum debent Confessarii observare, sed diligenter animadvertere, et haec diligentia importat, ut caute agant in audiendis peccatis, et cum advertentia se gerant in distinguendis peccatorum speciebus. Unum peccatum enim in una linea consideratum, potest esse reservatum, in alia non; et ita suum munus erit non aggravare citra, vel ultra condignum, poenitentem, *Campionus dicto capit. 7.*

§. VIII. Denique hujus Sacramenti doctrinam omnem recte posse studebit, et alia ad ejus rectam administrationem necessaria: atque in hoc ministerio ita procedat, ut infra praescribitur.

Difficile est omnem Doctrinam ad audiendas Confessiones aptam recte nosse: Mare magnum enim est Theologia Moralis, in quo nusquam finis.

Tutior modus est amplexandi sententias, et opiniones magis regulae adhaerentes, et non relaxativas: Ita recte semper judicabit ad praescriptum Rubricae. *Campion. d. n. 9.*

ORDO

MINISTRANDI SACRAMENTUM

POENITENTIAE.

TITULUS DECIMUS OCTAVUS.

SUMMARIUM.

- 1 Rubrica hujus Tituli illustrata fuit per J. M. Campion.
- 2 Confessarius debet se praebere non asperum, non alienum, etc.
- 3 Confessarius peccat si renuit audire poenitentem.
- 4 Oratio faciendae a Confessario ante administrationem Sacramenti.
- 5 Ecclesia est refugium Poenitentiae.
- 6 Confessiones audiendae sunt in Ecclesia.
- 7 In casu necessitatis, et in causa rationabili potest audire extra.
- 8 Causa rationabilis audiendi extra, exprimitur in litteris patentibus.
- 9 Cardinales, et Nuncii habent privilegium ut possint ubique audiri.
- 10 Regulares in propriis cellis audire non possunt confessiones.
- 11 Mulieres et Pueri non possunt audiri extra sedem Confessionalem.
- 12 Portae cubiculi, ubi foeminae audiuntur, aperiendae sunt semper.
- 13 Privatae confessiones abusive ubique audiuntur.
- 14 Confessionalem habere debet Parochus in loco patenti Ecclesiae.
- 15 Confessionalis descriptio a Cavallero facta.
- 16 Sedes Confessionalis in cubiculis Regularium.
- 17 Mulieres ante ortum, et post occasum Solis audiri non possunt.
- 18 Manualis in Missionibus Craticula.
- 19 Violaceus color significat afflictionem.
- 20 Confessarii cum Cotta, et Stola audire debent confessiones.
- 21 PP. Societatis Jesu dispensantur.
- 22 Humilitas necessaria in Sacramento Poenitentiae.
- 23 Vestes Poenitentium modestae esse debent.
- 24 Arma deponenda ab iis qui confitentur.
- 25 Mulieres accedere debent velatae ad Poenitentiam.
- 26 Mulieres immodeste accedentes ad Ecclesias peccant.
- 27 Genua ambo flectenda sunt in confessione.
- 28 Crucis signi mysteria.
- 29 Humilitas interna est dolor compunctivus.
- 30 Caroli V. Imperatoris casus in confitendo.
- 31 Status poenitentis inquirendus a Confessario.

- 32 Quisque status vitae habet seu peculiaria peccata.
- 33 *Medicus Ramazzinus* scripsit de Morbis Artificum.
- 34 Liber de peccatis Artificum desideratur.
- 35 *Laurentius Pezzi* simile opus confecit.
- 36 Confessarius debet se informare de statu poenitentis.
- 37 Absolutiones dandae sunt ad tenorem personae.
- 38 Laicus non est absolvendus a suspensione
- 39 Mora in peccatis contumacem reddit Poenitentem.
- 40 Poenitentia elapsae Confessionis an sit facta debet inquiri.
- 41 Confessio invalida repetenda est.
- 42 Confessio integra malitiosa, repetenda cum additione.
- 43 Peccata oblita confiteri debent dum recordantur.
- 44 Examen Conscientiae ad Confessionem praeexigitur.
- 45 Confessarius debet instruere Poenitentem rudem in examine.
- 46 Negligentia in examine emendanda.
- 47 Confessarius simplex non debet absolvere a casibus reservatis Episcopo.
- 48 Potest tamen in articulo mortis cum reincidentiae.
- 49 Confessarius simplex non potest absolvere a casibus reservatis Papae.
- 50 Praeterquam in articulo mortis.
- 51 Episcopi debent se praebere prompti ad dispensandum.
- 52 Confessarius debet petere licentiam pro poenitente.
- 53 Poenitens non tenetur petere pro se licentiam.
- 54 Parochus debet docere ignorantem.
- 55 Poenitens ignorans articulos fidei non potest absolvi.
- 56 Vices, et numerus peccatorum exprimi debent.
- 57 Poenitens nunquam dimittendus est sine manuum impositione.
- 58 Confiteor non est de obligatione, ut sit initium Confessionis.
- 59 Aliud est accusatio generalis, aliud Confessio generalis.
- 60 Idioma latinum non est necessarium in confitendo.
- 61 Confessarius debet adjuvare memoriam Poenitentis.
- 62 Confessarius est Judex.
- 63 Confessarius non debet arguere nisi finita Confessione.
- 64 Neque interpellare nisi ea expedita.
- 65 Verecundia a Poenitentibus abjicienda.
- 66 Locus interpellandi Poenitentes pro informatione actuum, et pro interrogatione non bene expressorum, et numeri.
- 67 Interrogationes vanae, et inutiles fugiendae.
- 68 Monita quinque proposita Confessariis.
- 69 Poenitentia datur pro satisfactione, et remedio.
- 70 Poenitentia danda est, seu imponenda juxta qualitatem Personarum.
- 71 Contritio esse potest tanta, ut valeat pro Poenitentia.
- 72 Legis poena gravibus peccatis non correspondet.
- 73 Actualis satisfactio non pertinet ad essentiam Sacramenti.
- 74 Optima Poenitentiae non est novae vitae institutio.
- 75 Contraria contrariis curantur.
- 76 Poenitentiae debent esse contrariae peccatis.
- 77 Fideles tenentur de jure semel in anno confiteri.
- 78 Obligatio confessionis non tam ex annorum numero, quam ex judicii maturitate desumenda.
- 79 Poenitentia pecuniaria.
- 80 Confessarii non applicant sibi Poenitentias pecuniarias.
- 81 Pauperibus Poenitentia Eleemosynae non est imponenda.
- 82 Confessarii Eleemosynas petentes possunt puniri ab Episcopo.
- 83 Peccatis occultis Poenitentia publica non est imponenda.
- 84 Confessio secreta non est contraria praecepto Divino.
- 85 Uxori, seu filio familiae non est imponendo publica Poenitentiae.
- 86 Restitutio incertae Episcopo reservatae.
- 87 Propositio de dolore extrinseco damnata.
- 88 Materialiter accedere ad Confessionem damnatum.
- 89 In periculo mortis cessant omnes censurae.
- 90 Haereticus in articulo mortis quando absolvi debeat?

- 91 Absolvendus est post praestitum juramentum de stando mandatis Ecclesiae.
- 92 Excommunicationes non redeunt post absolutionem.
- 93 Occiso, seu vulnerato quomodo ministranda sit Poenitentia?
- 94 Vulneratus interpellans vulnerantem ad Judicem est absolvendus.
- 95 De Substantia Confessionis est ut sit integra.
- 96 Confessio per nutus perficienda si deficiat Penitens.
- 97 Stigma Poenitentis destituti pro absolutione.
- 98 Poenitentia levis injungenda est aegris.
- 99 Orationes vocales, et jaculatoriae imponendae aegrotis.

Hucusque de rebus theorice ad Confessionem spectantibus, sermo habitus est. Sequens Titulus de practice ad idem Sacramentum spectantibus loquitur, pro recta illius administratione, et quidem juxta stylum Rubricarum, quae ut plurimum ad praxim bene exercendam rei, de qua tractant, conscriptae sunt, additis rationibus, causis, et autoritatibus diversorum doctorum.

§. I. Sacerdos ad audiendam Confessionem vocatus, promptum facilemque se praebet: ac priusquam ad audiendum accedat, si tempus suppetat, ad hoc ministerium recte, sancteque obeundum, divinum auxilium, piis precibus implorabit.

1 Haec Rubrica nonnullis notis illustrata fuit per Franc. Mariam Campioni Ord. SS. Trinitatis Redemptionis Captivorum, doctissimum Cleri examinatore Apostolicum in Urbe, in quodam libro inscripto: *Instructio pro se praeparantibus ad audiendas Confessiones*, p. 1. cap. 7. p. m. 57. quas adnotationes sequendo, nonnulla suppleram ad majorem hujus Rubricae intelligentiam, et ad illustrandum hujus Sacramenti Ritus.

2 3 Quando Rubrica dicit, quod Confessarius debet se praebere promptum, ac facilem, est ac si dicat non asperum, aut alienum, aut intoleranter respondentem: peccabit enim graviter si respuat audire poenitentem, quando hic obligatur ad confessionem. Si est Parochus, peccabit contra justitiam: Si est simplex Sacerdos, approbatus, peccabit contra charitatem. Si potens audire sine suo gravi incommodo, in tali casu dimittat inauditum, Capion. *d. l. c.* Imo etiam cum hoc incommodo, dico, peccare hujusmodi Sacerdotem contra Charitatem, eo quia dilectionem proximi non demonstrat, et plus diligit commodum suum temporale, quam utilitatem spiritualem proximi

sui, et de eo potest dici id, quod de Sacerdote, et Levita ait *Luc.* 10. non autem de Samaritano.

4 Si Sacerdos vocatus sit inopinato, et confessim ad audiendam Confessionem, tunc sufficit Oratio quaedam jaculatoria fervens, et mentis in Deum subita elevatio; si autem se exponat Sacerdos ad audiendas quorumcumque confessiones, tunc poterit se praeparare cum Oratione mentali ad Deum, qui est Pater luminum. Certe in utroque casu, nusquam deerit tempus eliciendi actum amoris.

§. II. In Ecclesia, non autem in privatis aedibus confessiones audiat, nisi ex causa rationabili, quae cum inciderit, studeat tamen id decenti, ac patienti loco praestare.

5 6 Refugium Peccatorum, et confugium poenitentium vocatur Ecclesia a Div. Bonaventura *Ser.* 15. ideo ibi prostant Tribunalia ad judicia ferenda.

7 8 9 10 11 Haec Rubrica tamen non includit casus necessitatis, seu ob infirmitatem, seu ob aliam causam, propter quam audiri quis non possit in loco Sacro, seu in Ecclesia. Causa rationabilis audiendi confessiones in privatis aedibus exprimitur in litteris patentibus Card. Vicarii, quoad confessarios Urbis, et in aliis litteris Ordinariorum pro suis Dioecibus. Cardinales quoque, vel Nuntii, seu Oratores Regum, et Principum habent hoc privilegium; et ubi constet, poterunt audiri. De facto in consueta formula facultatis Confessiones audiendi, solet inhiberi Confessariis, ut in Ecclesiis tantummodo audiant hujusmodi Confessiones: Monacellus hac de causa *T. 1. tit. 9.* ad illa verba in *Ecclesia* inserta in *formula 1. num. 7.* subjungit: Valde conveniens est, quod hoc Sacramentum extra casum infirmitatis, aut alterius honestae causae, non nisi in Ecclesia conferatur, Nicol. *flosc. verbo Confessarius, num. 24.* ubi, quod Sacra Congregatio approbavit Ordinarii Constitutionem, qua prohibebatur, quod Regulares non audirent Confessiones saecularium in propriis cellis: imo et laudavit in *Neapolitana 29. Martii 1592.* Gavant. *Man. Episc. verb. Confessarius, num. 38.* Insuper Monocell. *d. num. 6.* loquendo de sede Confessionalis, et ejus Crate ait: Prohibitionem hanc audiendi mulierum, puerorumque Confessiones extra sedem Confessionalem, vel e conspectu, et non interposita Crate sub poena suspensionis ab audiendis Confessionibus, laudasse *Sac. C. Ep. et Reg. in Collen. 18. Decembris 1693. referente Card. Petruccio.* Idem postea litteris circularibus injunxit S. Congr. Inquisitionis *sub. dat. Romae 4. Decembris 1694.* de Crate ap-

ponenda in sede Confessionalis dicemus in sequenti Paragrapho.

12 13 Si vero necessitas urgeat audiendi Confessionem extra Ecclesiam, et in loco non Sacro, vel privilegium, ut supra dixi, hoc concedat, advertere debet Confessarius, quando Foemina sit, quae peccata confiteatur, quacumque dignitate decoretur, semper fores cubiculi apertas tenendas esse, ut facile a vicinioribus intueri possit Confessarius, nec latendi locum habeat, sed in patienti loco sit. Contra vero hanc Rubricam non audiendi Sacramentales Confessiones, nisi in Ecclesia, vel loco Sacro, mos, seu abusus invaluit, adeo ut hodie multi sibi licere credant, privatim in aedibus quibuscumque audire quemlibet confitentem. Quare non nisi laudabile esset si per constitutionem, vel Synodalem, vel alio quocumque modo, haec Rubrica ad pristinum robur revocaretur, imposita etiam gravi poena contra inobedientes.

§. III. Habeat in Ecclesia sedem confessionalem, in qua Sacras Confessiones excipiat: quae sedes patienti, conspicuo, et apto Ecclesiae loco posita, crate perforata inter poenitentem et Sacerdotem sit instructa.

Huic Rubricae nullam adnotationem subdit *Campion. d. l. c.* Ego vero nonnulla addam cum *Barbos. de Off. et pot. Paroch. p. 2. c. 19. n. 59.* hoc pacto. Parochus habere debet Confessionalem in Ecclesia, ubi confitentes audiat, quod in loco aperto, et manifesto sit, non autem in sacellis, neque in angulis Ecclesiae, unde videri publice non possit quod fit, ut tollatur materia delinquendi: ob quam rationem quoque ipsum Confessionalem habebit fenestellam crate ferrea oclusam, ne poenitentem inspiciat, ut bene advertit *Ugol. de Off. Episc. c. 15. §. 8. n. 14.*

Insuper addam praxim satis manualem circa Confessionalia, quam affert *Cavaller. d. l. 12.* ut ea praecipue Parochi utantur, quam latino idiomate reportabo hoc pacto, videl.

15 Numerus Confessionalium in quacumque Ecclesia sit juxta quantitatem populi affluentis ad illam, et Confessariorum, qui ibi solent prostare ad audiendas Confessiones, habito respectu praecipuas anni solemnitates, seu ad jubilaum, quod occurrere possit, seu ad Indulgentias, vel Missiones. Nusquam minus bino confessionale prostet in Ecclesia. Ad unum ut Masculi, ad alterum vero, ut foeminae accedant, ut evitetur scandalum promiscuae affluentiae tam mulierum, quam viro-

Propria situatio Confessionalis est extra Presbyterium, seu majorem Capellam, nusquam vero nec prope Altare, nec prope Scamna, seu Sedilia Ecclesiae; in patenti, et aperto loco, hoc est in partibus lateralibus Ecclesiae; atque unum e regione alterius stet quantum fieri possit. In Capellis tamen amplis toleratur, et permittitur Confessionale, dummodo tamen hujusmodi Capellae amplae, circumdatae cancellis sint, hoc pacto, quod Confessarius intra cancellos stet, et Poenitens extra eos, et ambo publice pateant.

Confessionale positum in Capella majori, et in cornu Evangelii, scabellum habeat pro poenitente ad dexteram Confessarii. Illud vero in cornu epistolae secus constructum sit; ita ut Poenitens nusquam terga vertat ad Altare majus, in quo asservetur Sanctiss. Eucharistia.

Quodecumque Confessionale tabulis ligneis laevigatis, et firmis componatur; illud hinc inde superius, et inferius claudentibus, adeout sola attentior pars aperta sit; in qua tamen parva porta apperiat, quae se extra porrigat, et habeat seram, et clavem, ita et taliter quod nemo, absente Confessario, in illo loco irreverenter sedere valeat. Huic parvae portiunculae aequivalet quandoque parvus cancellus.

Basis, seu suppedaneum Confessionalis, quod a pedibus calcatur, altum sit palmum semis, et pavimento super emineat: latitudo ejus sit palmi tres, et digiti tres circiter: longitudo, palmi sex cum dimidio, sedes Confessarii se erigat ad palmum, et semis, et digitos quinque circiter: se dilatet vero a dextera ad sinistram palm. 2. et digit. 6. a fronte vero finem palm. 1. et semis, plus, minusve. Altitudo tandem totius Confessionalis sit palm. 6. et semis, praeter coronam, et ornamenta ad libitum; in quorum medio Crux emineat.

Ab utroque latere sedis affixae sint parvae tabellae ex asserre, super quas cubitis innitatur Confessarius dum audit a quocumque latere poenitentes, et elevari atque demitti possint.

Extra sedem Confessarii sit locus pro Poenitentibus, et scabellum, ut genuflectere possint, et commodum tam pro utroque genu, quam pro cubitis, ut manus stare possint junctae, nec deformitatem pariant dum facie accedit Poenitens ad fenestellam, seu cratem.

In medio Tabulae divisoriae inter Confessarium, et poenitentem, sit fenestella faciei utriusque accommoda quoad altitudinem: a latere ejusdem fenestellae repagulum sit similis longitudinis, a quo impediatur visus faciei confitentis, et loquentis ad cratem: sitque huic fenestellae affixa Crates ferrea bene tersa, et lucida, sed perforata, cujus foramina sint ad instar ciceris. Ad partem vero, quae respicit confessorium, solent nonnulli applicare Velum densum subnigri coloris.

Fenestella ista cum crate, laudabile est ut claudi possit vel

asserre, vel tabula pollicibus ferreis innixa, ad hoc ut dum Confessarius loquitur cum uno poenitente, alter poenitens, e conversu nequeat audire verba ab eo prolata.

In hac Tabula, aliqua Imago pia, et devota affixa sit, una cum formula ordinaria absolutionis. Insuper etiam a parte Poenitentis aliae Imagines affixae appareant. In sede vero media, Tabula casuum reservatorum; Summarium Bullae in Coena Domini, Canones Poenitentiales, et similia affigantur, quae ad instructionem extemporaneam Confessarii inservant.

16 Haec tota est descriptio Confessionalis, quod in Ecclesia prostare debet. In Oratoriis, et Cubiculis Ecclesiae adnexis, solent, praecipue apud Regulares, aliae sedes confessionales construi, quae haec duo necessaria habent, scil. sedem pro Confessario, et scabellum pro Poenitente ad genuflectendum, cum Crate, quae auscultationem dividat.

17 Porro non ignorabit prudens Confessarius, audiri non posse mulieres ante ortum Solis, neque post occasum, neque in Cellis, sed in sedibus, cum tabella, nec sine justa causa in privatis aedibus, Corsett. *de Poenit. num. 6.*

18 Tempore magni concursus, et occasione Sacrarum Missionum Apostolicarum in locis ruralibus, vidi olim, ut expeditius Populus posset peccata confiteri, per Sacerdotes in vasto spatio distributos portari Cratem manualementem, et scamnum plicatile, quo huc, et illuc se transferebant ad audiendas utriusque sexus Sacramentales Confessiones.

§. IV. Superpelliceo, et Stola violacei coloris utatur, prout tempus, vel locorum feret consuetudo.

19 Sacramenta non nisi cum Cotta, et Stola esse administranda jam diximus in una Rubricarum Sacramenti Baptismi; ideoque nihil hic subdo. Unice dico cum Corsett. *Ind. Rational.* Violaceum colorem significare afflictionem, moerorem, et luctum: item constantiam, excellentiam, maturitatem, et consilium; quae singula partim ad Confessarium pertinent, partim ad Poenitentem, cuncta vero Sacramento Poenitentiae.

20 21 Sciendum est, per decretum Sac. C. Episc. in una *Albanganen.* 8. *Novemb.* 1588. statutum, fuisse, Confessarios, si Saeculares sint, teneri deferre superpelliceum, et stolam cum audiunt confessiones. Nisi fuerint Religiosi Soc. Jesu, qui superpelliceum deferre non tenentur, ut censuit eadem S. Cong. die 25 Aprilis 1586. Barbosa de Pot. Paroch. *Part. 2. c. 19. n. 65.*

Placet hic inserere super hoc argumento, Epistolam a Sanctissimo Domino Nostro Benedicto Papa XIII. ad Abbatem Cassinen. S. Mariae in Monte de Caesena missam, sub die 1. Augusti 1681. tunc cum Episcopali munere in dicta Civitate, et Dioecesi fungeretur, quam Epistolam autographice scriptam, ex ejusdem Monasterii Archivo transcripsit, mihique tradidit D. Romualdus Serra ibidem Monachus, amicusque meus eximius.

Per effetto del zelo Sacerdotale di lei riconosco l'ordine dato a' PP. Confessori intorno l'amministrare il Sacramento della Penitenza colla Stola, abito prescritto dal Rituale Romano. Ne serberò a V. P. Reverendiss. particolarissimo dovere; ed ordino al mio Vicario, che rigorosamente faccia il mio Editto osservare da gli altri Regolari, avendo prima voluto dalla generosità Monastica ricever per favore l'obbedienza di questo Rito, e poi riscuoterla per debito dagli altri, che devono seguire l'orme Venerabili de' PP. della Regolare disciplina, che sono i Monaci del Supremo Patriarca Benedetto, etc.—Di Gravina il primo d'Agosto 1681.—Affezionatiss. per servirla—F. Vinc. Maria. Arciv. Card. Orsini.—P. Abb. D. Stephano Lenzi, Caesena.

Mirare, quaeso, Lector. Sanctissimi Pontificis, etiam, in minimis summam vigilantiam.

§. V. Poenitens, si opus fuerit, admoneatur, ut quae decet humilitate mentis, et habitus, accedat, et flexis genibus, signo Crucis se muniat.

22 Si ad ullum Sacramentum decet, ut quis cum humilitate interna, et externa accedat, certe est ad hoc Poenitentiae: et penitus ignoro quomodo possit dari casus, in quo opus sit admonere poenitentem, ut accedat humiliter: Nihilominus adeo rudes personae dari possunt, quae non malitiose, sed ignoranter hanc humilitatem non praesferant, ideoque opus est ut moneantur.

23 24 25 26 In habitu ista humilitas demonstratur, si compositus sit, ac decens, sed non fucatus: si deponantur quaecumque arma, etiam latentia: si in mulieribus caput sit velatum, pectus non denudatum totum corpus a famulis, famulabusve incustoditum. Circa quae nonnisi valde prodesse poterit, si prudens Confessarius legat, et perlegat allegata per

Monacell. *form. leg. pract. tom. 3. tit. 2. for. II. n. 5. et seqq.* ubi demonstrat concludenter, et probat, mulieres ingredientes Ecclesias, et accedentes ad recipienda Sacramenta, pectore, brachiis, et humeris denudatis, graviter peccare, tum quia maximam irreverentiam ostendunt Sacramentis, tum quia sunt scandalo Fidelibus videntibus: tum demum quid, ut ait Carthusianus *in epist. D. Petri, art. 6.* venenum propinant, praebent occasionem peccandi, et abominationem inducunt in loco Sancto. Quam abominationem si Confessarii remove non student, merito Episcopus illos ab audiendis Confessionibus suspendit. Est enim res ab omni loco, et praesertim ab Ecclesiis, etiam censuris, extirpanda, Raynald. *Obser. crim. suppl. ad cap. 1. supp. 5. num. 376. 377.* ubi plures allegat Pignatell. *Cons. 35. num. 30. t. 7.*

27 Nota insuper verba illa, *Flexis genibus. etc.* non enim dixi *flexo genu*, sed plurali numero utitur, ut discant qui tam abusive solent genu unicum flectere, esse actum maximae irreverentiae.

28 Tandem debet Poenitens Crucis signo se munire, quia cum hoc signo renovatur actus fidei circa praecipua Fidei nostrae mysteria, dicente Div. Augustin. *de temp. ser. 81. Crucis signum quasi compendium fidei nostrae, continet Trinitatis Mysterium, et Filii per Crucem Redemptionem.* Cujus signi antiquitatem, et virtutem, vide apud Chrysost. *ad Philipp. hom. 13.*

29 Pro humilitate vero interna, interpretatur dolor, utpote afflictivus, et caetera, quae conveniunt poenitenti in illo actu.

§. VI. Mox Confessarius inquirat de illius statu (nisi aliter notus fuerit) et quampridem sit confessus, et an impositam poenitentiam adimpleverit, num rite atque integre alias confessus fuerit, num conscientiam suam, ut debet, prius diligenter discussit.

30 31 Vulgaris, et notissimus est casus Confessarii illius, qui Sacramentum Poenitentiae administrans Carolo V. Imperatori Augusto, post audita peccata ab ipso Imperatore accusata, cum nihil aliud habere, quod confiteretur, subjunxisset, eum suaviter, sed argute redarguens inquit: *Divisti peccata Caroli: modo dic peccata Caesaris.* In quovis enim vitae statu adsunt praecepta obligatoria, contra quae unusquisque delinquere potest.

32 33 34 35 36 37 38 Scripsit olim doctissimus Medicus Ramazzinus librum, et quidem eruditissimum *de morbis Artificum*: nemo adhuc, quod sciam, scripsit *de peccatis Artificum*. Quilibet enim vitae status habet defectus proprios, qui sunt morbosae naturae, et Animam laedunt. Unice ad hanc rem libellum quemdam italice scripsit in antiquis, nempe anno 1584. *Laurentius de Pezzis* Sacerdos, Confessarius Monialium in Civitate Murani prope Venetias, qui liber inscribitur *Confessionario*, in quo traditur, licet compendiose, methodus servanda a quacumque persona, cujusvis gradus sit, in confitendis peccatis. Ibi Magnates, Equites, Cives, Milites, Judices, Advocati, Doctores, Magistri, Scribae, Medici, Barbitonsores, Aromatarii, Librarii, et usque Bubulci, aliaque genera personarum nominatim instruuntur circa peccata status, et exercitii, seu artis, quam profitentur, et remedia opportuna injunguntur. Optimum esset itaque, ut quis hoc exiguum opusculum ampliaret, expurgaret, et illustraret, ex quo abundant Doctores hodie qui in Theologia Morali, volumina, et quidem ampla, publici juris faciunt. Sed ut ad rem nostram redeamus: Confessarius juxta praeceptum praesentis Rubricae debet se informare de statu personae illius, cui Sacramentum ministrat, ut eam interroget de adimplemento obligationum suarum, poenitentiam illi injungat adimplendam secundum vires suas, atque illi absolutionem largiatur ad tenorem conditionis suae. Si enim esset Laicus, non esset absolvendus vinculo suspensionis, ut Clericus. Vide quae adnotavimus ad §. 4. hujus Tituli in fine.

39 *Quampridem sit confessus, etc.* Longa et diuturna mora in statu peccaminoso contumaciorem reddit poenitentem. *Segn. Poenit. Instr.*

40 *An impositam poenitentiam adimpleverit, etc.* Debet de hoc certiorari Confessarius, ut noviter injungat poenitenti onus adimplendi.

41 42 43 Quod si non rite, hoc est cum deficientia alicujus partis essentialis Poenitens confessus fuerit, invalide hoc factum est, et tenetur repetere peccata jam enarrata. Si vero non integre, cum reticentia malitiosa alicujus peccati, hoc quoque subjungendum est, quia hujusmodi confessio sacrilega fuit, secus vero si ista reticentia ex oblivione processerit, tunc tantum peccata oblita revelanda essent, Bonacin. *de Poenit. cap. 14. Campion. d. c. 6. num. 10.*

44 45 46 Conscientia insuper diligenter discutienda est. Ad examen hoc spectat, quia examen conscientiae ad Confessionem praexigitur, quae erit sacrilega, si nimis remissum fuerit examen, in quo tantum temporis impendendum est, quantum homo prudens ponit in gravi negotio tractando, Campion. *d. c. 11. num. 15.* Quod si poenitens responderit, se conscien-

tiam suam non discussisse, tunc incumbit Confessario illum perquirere de causa hujus peccaminosae negligentiae. Et si haec negligentia ab ignorantia, et ruditate illius proveniat, tunc operae pretium est, ut illum instruat, et det manus, ut examen conficiat. Si vero praedicta negligentia ab inertia, seu otiositate derivet, tunc (nisi magna necessitas hoc impediatur) dimittendus est poenitens, donec examen conscientiae perfecerit.

§. VII. Quod si poenitens aliqua censura, vel casu reservato sit ligatus, a quo ipse non possit absolvere, non absolvat, nisi prius obtenta facultate a Superiore.

47 48 49 50 De censuris, et casibus reservatis in antecedenti titulo satis diximus, quantum sit pro brevi commentario: modo dicam alia, et primo: quod cavere debet Confessarius ne a casibus per Episcopum reservatis absolvat quemquam, quia nulliter absolveret, nisi sit poenitens in articulo mortis, Conc. Trid. *sess. 14. de reform. cap. 7.* Barbos. *d. p. 2. c. 19. num. 49.* qui opinionem habet, posse Parochum, Poenitentem habentem peccata reservata Episcopo absenti, absolvere a peccatis non reservatis, reservata absolutione a reservatis, cum Superior copiam sui fecerit. Limitat tamen, loqui hunc Doctorem de peccatis, quibus non sit annexa aliqua censura, quia ubi adest excommunicatio (ut habetur in omnibus reservationibus Sedis Apostolicae) tunc non potest inferior ullatenus absolvere etiam a non reservatis, Sotus *art. 5. ad 2.* et Joann. Valer. *verb. Poenitentia, dissert. 4. vers. praeterea fallit sexto.* Nisi in casu gravissimi scandali. Tandem pro regula sit, non posse simplicem Confessarium absolvere quempiam a censuris Papae reservatis, et Episcopo. Secus vero faciens incurrit excommunicationem latae sententiae, a qua non nisi a Summo Pontifice absolvi potest praeterquam in mortis articulo, et hujusmodi absolutio esset, ut dixi, nullius roboris, Conc. *Prov. 7. S. C. Episc. 29. Novemb. 1602.* Corsett. *dict. num. 24. in fine.*

51 52 53 Quapropter Superior, seu Ordinarius debet se praebere promptum, et facilem ad concedendam talem facultatem, ut sic poenitens non desperet, vel ne in deterius ruat, fiantque pejora peccata prioribus, Engel. *Manual. Paroch. p. 3. c. 2. §. 2. n. 5. de sac. reserv.* ubi notandum, quod si poenitens, nulla ratione persuaderi possit, ut ad Superiorem accedat, quin potius ob animi durtiem dilaturus sit Confessionem, aut etiam omni peccandi licentiae se traditurus sit, maxime si rationabi-